

secus neque quæta esset possessio beatitudinis, neque ipsa omne malum excluderet.

CONSCIENTIA MORALIS. Actus intellectus quo applicamus principia moralia ad iudicandum de moralitate actionum nostrarum in singulari. Conscientia moralis est *vera vel falsa, recta vel non recta, invincibiliter vel vincibiliter erronea, certa, probabilis vel dubia, scrupulosa et perplexa, laxa, rigurosa vel rationalis, obligans, consulens vel permittens.*

Conscientia vera est quæ conformis est rei de qua iudicatur.

Conscientia falsa. Quæ deformis est a re iudicata.

Conscientia certa est cum quis per eam iudicat absque errandi formidine.

Conscientia probabilis. Quæ ex rationibus iudicat quæ probabilitatem non excedunt, cum quis nempe uni contradictionis parti assentitur, sed cum formidine ne vera sit altera.

Conscientia dubia. Quæ hæret anceps inter opposita iudicia, ac neutri parti assensum præbat.

Actus elicitus. Actio elicit alicujus potentie, illa dicitur cujus potentia ipsa est simul immediatum principium et subjectum; ita *visio* est a sensu visus et est in visu, *imaginari* est actio imaginationis et in imaginatione existens. *Visio* dicitur actio *elicta* a visu, et *imaginari* actio *elicta* a phantasia.

Actus imperatus. Actio imperata ab aliqua potentia illa dicitur, cujus potentia est quidem principium sed non subjectum, sicut dominus imperat quidem servo actiones, quæ sunt domini, sicut